

Inst. 1. Dolor ex metu, nondum excludente voluntatem peccandi, includit hunc actum: peccarem, si non est infernus: ergo est malus. R. N. Ant. Supponit quidem hunc actum in peccatore, sed ab illo secundum se abstrahit, non includit; imò disponit ad illum excludendum. Est ergo ibi servilitas, quæ se tenet ex parte subjecti, & non ex parte actus, sicque bonitati actus non officit: sicut infirmitas fidei se tenet ex parte credentis, & non ex parte actus fidei, nec impedit, quin actus fidei secundum se sit bonus.

Inst. 2. Qui odit peccatum propter infernum, magis odit infernum, quam peccatum, ut enim communiter dicitur: Propter quod unumquodque tale, & illud magis; atqui hoc est inordinatum: est enim inordinatio magis odisse minus malum, quam majus; peccatum autem est majus malum, quam infernus. R. N. Maj. Quia in odio peccati propter infernum, vi istius actus non fit comparatio inter peccatum, & infernum, sed tantum odio haberi peccatum propter infernum, tamquam propter finem proximum, non excludendo aliud motivum magis odio habendi peccatum, quam infernum, sed ab illo abstrahendo. Ad Probationem ex vulgari axiomate, illud verum est, quando excluditur omne aliud motivum odio habendi illud; quod odio haberi propter infernum. Secus, quando non excluditur: sic. v. gr. justus, qui, videns suspendi furem, odit furtum propter patibulum, seu ut evitet suspendium, non sequitur tamen, quod odiat magis suspendium, quam furtum; siquidem cum supponatur justus, si inter utrumque faceret comparationem, & alterutrum, aut furtum, ut suspendium eligendum proponeretur, magis eligeret suspendi, quam furari. Item justus diligit Deum propter retributionem: non tamen sequitur, quod magis diligit retributionem, quam Deum. Similiter igitur, qui odit peccatum propter infernum, non sequitur quod magis odiat infernum; quia, licet de facto non odiat peccatum propter aliud motivum, quia, ut suppono, adhuc peccator est sine amore Dei benevolens, attamen istud motivum, seu metus inferni, cum non sit finis ultimus, quantum ex se non excludit aliud motivum, puta amoris, licet etiam non excludat, sed ab illo abstrahit, imò ad illud inducit, & disponit.

Obj. 3. Timor contrariatur charitati: ergo est malus Prob. Ant. Joann. Ep. 1. c. 4. dicitur, quod Perfecta charitas foras mittit timorem: ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Perfecta charitas foras mittit timorem, sicut perfectum excludit imperfectum, C. sic v. gr. visio beatifica excludit fidem, & spem: foras mittit timorem ut contrarium, N. Intelligendo de timore simpliciter servili, de quo procedit Conclusio.

Inst. Timor procedit ex cupiditate: ergo est contrarius charitati. Prob. Ant. Juxta Aug. Enchirid. 117. & alibi non datur medium inter cupiditatem, & charitatem; atqui timor non procedit ex charitate: ergo. R. N. Ant. Ad Prob. D. Maj. Inter cupiditatem, & charitatem non datur medium ex parte subjecti, C. Quia omnis homo est, vel justus, vel injustus; si justus, in eo regnat charitas; si injustus, in eo regnat cupiditas. Ex parte actus, N. Sicut enim non omne, quod facit justus, procedit ex charitate, ut dum peccat venialiter; sic non omne, quod facit injustus, procedit ex cupiditate, sed vel ex bono nature, vel ex aliquo bono habitu remanente; vel enim avarus v. gr. omnia agit ex avaritia, neque impudicus ex impudicitia.

Obj. 4. Si attritio ex mero metu esset bona, foret actus virtutis; atqui falsum Consequens; procedit enim ex amore sui: ergo. R. N. Sequelam Majoris. Non enim omnis actus bonus est actus virtutis, ut patet in actu continentie. Ideo igitur attritio ex solo metu, licet sit bona, non est actus virtutis; quia non facit hominem simpliciter bonum, nec est perfecta in suo genere, scilicet doloris. Si forte idem opponas de actibus fidei, & spei. R. Quod isti actus sint perfecti in sua linea; fides enim est cognitio, qua nulla certior, spes tendentia in beatitudinem, qua nulla securior, & firmitior: & sic est disparitas.

Petes, utrum metus gehennæ, de quo in Conclusionem, inducens peccatorem, ut se convertat ad Deum, sit non solum bonus, sed etiam supernaturalis? R. affirmative contra Lutherum, & Janesistas. Constat r. Ex Scriptura. Proverb. 1. dicitur: Timor Domini principium sapientie. Ibid. 14. Timor Domini fons vite Eccli. 21. Qui timet Deum, convertetur ad cor suum. Consummatio timoris Dei sapientia: & alibi plura similia. Porro, si timor doceat ad sapientiam, & ad vitam, ejusque consummatio sit sapientia, indubie est supernaturaliter a Deo. 2. Ex propositione damnata ab Alexandro VIII. quam retulimus in Prob. Conclusionis. 3. Ex Concilio Trid. sess. 6. c. 6. ubi inter dispositiones ad gratiam sanctificantem recenset Divina justitie timorem, quo utiliter concutuntur peccatores: nullus autem actus naturalis potest esse dispositio ad gratiam sanctificantem. Adde, quod timor gehennæ non sit in nobis nisi per fidem. 4. Ex Auctore, qui in 3. d. 34. q. 2. art. 2. q. 1. dicit, quod licet timor servilis non numeretur inter septem dona Spiritus S. sit tamen a Deo, &

ejus usus sit bonus.

Dices. S. Thom. ibid. dicit, quod timor servilis, quando est bonus, sit ab amore naturali, quo vult consistentiam, & bene sui subjecti: ergo. R. Sensus S. Thom. esse, quod, ut voluntas metuat, & fugiat gehennam, non indigeat aliquo alio habitu superaddito, sed sufficiat amor naturalis proprii boni, motus tamen, & adjutus impulsu gratie, undè immediatè addit: Et idè horret omnem peccatum, sive quam experientia docet, sicut in naturali timore, sive quam fides demonstrat, sicut in servili.

ARTICULUS VI.

Utrum metus gehennæ possit se solo excludere voluntatem peccandi.

Hæc questio magno æstu ventilatur inter Patronos attritionis formidolosæ, & assertores necessitatis charitatis actualis; quasi, si metus inferni semel excludat voluntatem peccandi, attritio formidolosa sufficiat cum Sacramento ad justificationem, & nullus amor requiratur. Verùm hallucinatio est: ad justificationem namque, etiam cum Sacramento, non sufficit excludi voluntatem peccandi, sed insuper requiritur odium, & detestatio peccati, ut est malum, & offensiva Dei, quæ haberi non potest sine aliquo amore, ut dicemus infra. Undè, etiam metus excludat voluntatem peccandi, nihil nocet principali nostre sententiæ, infra stabilienæ. Quia tamen hæc questio celebris evasit, illam omninò prætermittere non convenit.

Sed antè omnia tollenda est terminorum æquivocatio; quæ sublata, non ita distabunt, aut etiam fortè conciliabuntur opinioniones contrariæ. Itaque, vel per voluntatem peccandi intelligitur tantum voluntas habitualis ex actu præterito, hoc est, status peccati: nihil enim aliud intelligi potest per voluntatem habituales peccandi; aut si quid aliud intelligat, qui aliter sapiunt, explicite, quid sit istud aliud. Clamant enim omnes, voluntatem, affectionem habituales, & nihil amplius: hoc autem sensu certum est, solo metu non excludi voluntatem peccandi, sed sola gratia justificante. Vel per voluntatem peccandi intelligitur voluntas actualis, & per ejus exclusionem intelligitur exclusio non privata tantum, sed contraria, quæ sic exprimitur: non solum nolo amplius peccare; sed doleo peccasse, & detestor peccatum. Atque iterum hoc sensu concedimus, non excludi voluntatem peccandi solo metu; quia peccatum, ut peccatum est, & offensiva Dei, non potest odio haberi ex solo metu sine aliquo Dei amore, ut infra probabimus. Et hoc sensu S. Thom. in 4. d. 14. in expositione textus super hæc verba Magistri sententiarum, Vera penitentia est cessare a peccato, dixit: Sciendum, quod cessare a peccato non dicit simplicem negationem peccati; quia, qui intermisit actum peccati, non dicitur a peccato cessare. Sed cessare a peccato proprie dicitur, cui peccatum displicet, & peccatum intermittere intendit; & hæc est vera penitentia. Restat ergo, per voluntatem peccandi intelligendam esse actualem, & per exclusionem illius intelligi positivam quidem, sed privatam tantum, & non contrariam; quæ privata sic exprimitur: nolo amplius peccare, seu, depono omnem affectum, omnem voluntatem actualem iterum peccandi. Vix credo, hanc exclusionem privatam voluntatis actualis peccandi vi metus a quoquam negari, si quidem plurimi, qui videntur negare, declarent, ut legitimus in eorum operibus, se loqui de voluntate peccandi præterita, non futura; & afferant pro ratione, peccatum, ut peccatum, non posse odio haberi, nec displicere ex solo metu, quod importat exclusionem contrariam, non privatam tantum. Sed quidquid sit,

Dico. Nihil obstat, quominus metus Inferni, si sit efficax, excludat privatè se solo voluntatem actualem peccandi. Prob. r. ex Trid. Sess. 22. Can. 8. ubi sic definitur: Si quis dixerit, gehennæ metum, per quem ad misericordiam Dei de peccatis dolendo confugimus, vel a peccato abstinemus, peccatum esse, aut peccatores facere; anathema sit. Ergo juxta Concilium potest dari metus gehennæ efficax, vi cujus a peccato abstinemus: Peccatorum autem non solum actu exteriori, sed voluntate interiori: ergo etiam voluntatem excludit. 2. Ex hac propositione damnata Quenellii: Timor non nisi manum cohibet, cor autem tantum peccato adducit, quamvis ab amore justitie non ducitur: est 61. ergo timor non solum manum cohibet, sed etiam animum. Neque verum est, cor tantum peccato addici, seu affici, quamvis ab amore justitie non ducitur.

Scio, adversæ sententiæ patronos multa excogitasse, ut huic argumento satisficiant. Dicunt r. Timore cohibere non solum actu exteriori, sed etiam voluntatem illum committendi; at non excludere affectum peccati intus litantem & voluntatem conditionatam illud committendi. 2. Recurrunt ad Calepinum, & dicunt, juxta ipsum cohibere non significat

excludere, sed apud se tenere. 3. Dicunt, hoc membrum propositionis damnatæ, Timor non nisi manum cohibet, esse damnatum relativè ad hoc secundum, cor autem tantum peccato adducit, &c. 4. Dicunt timorem excludere voluntatem peccandi futuram, non præteritam. 5. Dicunt, excludere voluntatem peccandi negativè, sicut somnus, aut distractio excludit, seu potius suspendit, non positivè ita ut semper affectus maneat in corde. Verùm demus ista omnia, contra tamèn communiorè sensum Theologorum, qui per to cohibere intelligunt excludere & quidè positivè; saltem, si non obstante metu semper maneat actu in corde affectus peccati latitans, & actualis voluntas saltem conditionatè illud committendi, sequitur, quod per hunc actualem affectum & voluntatem cor tantum adducit, seu afficitur peccato, quamvis ab amore justitie non ducitur. Quid est enim addici, seu affici peccato, nisi habere affectum ad peccatum? Et hoc est secundum membrum propositionis damnatæ, quod, ut dicunt, est præcipue damnatum.

3. Ex Aug. cujus auctoritati maxime confidunt Adversarii. Enarrat. in Ps. 127. dicit S. Doct. Audistis, cum Evangelium legeretur: ubi vermis eorum non moritur, & ignis eorum non exstinguitur. Audistis hoc homines, & quia verè futura sunt impijs, timent & continent se a peccato. Timent quidem, sed non amant justitiam, cum autem per timorem continent se a peccato, fit consuetudo justitie; atqui ut jam dictum est, non solum actus exterior est peccatum, sed omnis actualis affectus, seu voluntas peccati: ergo, si timor continet a peccato, continet ab affectu & voluntate actuali peccandi; & si maneat actualis affectus, seu voluntas peccandi, non fit consuetudo justitie.

4. Ratione. Timor efficax supplicii temporalis excludit positivè omne id, quod conducit ad supplicium: ergo a pari timor efficax supplicii æterni. Subsumo; atqui non solum peccandi conducit ad supplicium æternum: ergo metus efficax gehennæ excludit positivè omnem actualem affectum, seu voluntatem peccandi: sicut metus efficax supplicii temporalis excluderet voluntatem furandi, voluntas supplicio puniretur, sicut furtum exterius.

Dices. Ex hoc argumento sequitur, quod metus efficax gehennæ excludat etiam habituales peccatum & ejus restum, quia ista etiam conducunt ad gehennam; sicque ad justificationem inutilis est gratia, & inutile Sacramentum, quod est absurdum: ergo. R. D. Sequelam. Sequitur, quod metus efficax excludat peccatum habituale immediatè & se solo, N. medianter amore charitatis, aut benevolentie cum Sacramento, C. Itaque metus efficax gehennæ immediatè & se solo excludit omne inductivum gehennæ, quod continetur intrinsecum suam activitatem, seu efficaciam immediatam; sed ad excludendum, quæ excedunt suam efficaciam immediatam, quærit adminicula necessaria, & ad illa efficaciter movet. Porro ad excludendum peccatum habituale, & justificationem consequendam, non sufficit excludi voluntatem peccandi, sed insuper requiritur odio haberi peccatum, ut est malum & offensiva Dei, ut dicemus infra; quod fieri non potest sine saltem ejus amore benevolens, & idè metus efficax gehennæ movet peccatorem ad hunc amorem, & ad Sacramento. At excludere actualem voluntatem, seu affectum peccati, etiam ut est offensiva Dei, immediatè & se solo potest timor absquè alienius amoris Dei adminiculo, quia ex mera indifferentia ergà aliquem absquè ullo ejus amore possum deponere voluntatem ipsam ulterius offendiendi, maxime si sciam hanc voluntatem esse mihi nocivam: sicut ergo metus efficax patibuli se solo ab alterius adminiculo excluderet voluntatem peccandi, si voluntas patibulo puniretur, ita metus Inferni se solo excludit voluntatem furandi, quia ista voluntas Inferni poena punitur. Et mirum sane foret, ex sola consideratione turpitudinis peccati posse deponi voluntatem ipsam iterandi, quod mihi certum videtur, & non posse ex consideratione supplicii æterni. Tandem vel ille affectus latitans, ista voluntas conditionatè est peccatum, vel non: si non sit peccatum, est impertinens ad propositum; si sit peccatum, vel illud excludit metus; vel dicendum, quod homo fugiens peccatum metu Inferni continè peccet, quod est absurdum.

Solvuntur objectiones.

Obj. 1. S. Aug. in pluribus locis docet r. Timorem gehennæ nullatenus excludere voluntatem peccandi. Sic Ep. 144. Inaniter putat se victorem peccati, qui timore non peccat. Serm. 15. de verbis Apost. Qui timore Pannæ non concupiscit, puto quia concupiscit. In Ps. 77. Qui timent panam, & qui amant justitiam, non furantur, & idè pars sunt manu, dispares corde pares opere, dispares voluntate. Similiter alii Patres. 2. Docet Aug. desiderium peccandi non excludi, nisi amore justitie & charitate: sic l. 2. contra Adversum Legis c. 7. Desiderium peccandi non exstinguitur, nisi contrario desiderio rectè facien-

di, ubi fides per dilectionem operatur: ergo. R. ad primos textus S. Aug. & alios Patres, loqui de metu vel inefficacia vel servilitate servili, vel de metu poenæ temporalis, vel intelligere de complacencia peccati ex parte appetitus sensitivi, non voluntatis. Ad ultimum textum: vel Aug. loquitur de exclusionem desiderii peccandi contraria & non solum privativa, ut explicui in prænotaminibus, vel per charitatem & dilectionem intelligit bonam voluntatem, seu quemlibet pium voluntatis affectum ergà bonum, ut frequens est: qui verò fugit peccatum metu poenæ, habet bonam voluntatem. Posse etiam dici, quod Aug. loquitur de eo, quod communis accidit; sic enim quidam ex ipsis Adversariis ipsum interpretantur.

Obj. 2. Quæ fiunt ex metu, sunt involuntaria secundum quid: ergo, qui dolet de peccato ex metu, retinet affectum ad peccatum. R. D. Ant. Quæ fiunt ex metu sunt involuntaria secundum quid, si istud involuntarium non sit inductivum mali, quod timetur, C. Si sit inductivum mali, quod timetur, N. Hoc ipso enim quo supponitur metus efficax, debet tollere omne inductivum mali, quod timetur, & quia involuntarietas in fuga peccati, seu affectus ad illud est inductivum gehennæ, metus efficax gehennæ debet illum excludere. Sicut, si affectus, quem habet mercator ad merces, seu involuntarium, quod habet ad eorum projectionem, esset causa naufragii, metus naufragii, si esset efficax, ipsum induceret non tantum ad proficiendas merces, sed etiam ad deponendum affectum ad illas, consequenter ad tollendum involuntarium in earum projectionem.

Inst. 1. S. Thom. 1. 2. & cum eo omnes Theologi docent generalitèr & sine expositione, ea, quæ fiunt ex metu, esse mixta ex voluntario & involuntario: ergo male nos ab hac generali doctrina excipimus. R. D. Ant. S. Thom. docet generalitèr & sine exceptione, ea, quæ fiunt ex metu, esse mixta ex voluntario & involuntario, loquendo formalitèr de metu, quantum ex vi sua; & probè incutitur a causa extrinseca, C. loquendo de metu per accidens & ratione materiæ, quando nempe contingit, quod mea voluntas, seu involuntarietas est causa poenæ, quam timeo. N. Tunc enim, licet attenda præcisè ratione metus conservassem affectum ad peccatum, & idè ortum involuntarietatem in eo relinquendo; tamen, quia ipse affectus ad peccatum, seu involuntarietas in illo relinquendo est fundamentum, & causa justæ poenæ, quam timeo; idè per accidens, & ratione materiæ, metus mutat hunc affectum, & tollit hanc involuntarietatem. Insupè istud generale principium sollicitè ea, quæ fiunt ex metu, esse mixta ex voluntario, & involuntario, intelligitur dantaxat, quando in agente ex metu requiritur affectus ad id, quod ex metu dimittitur, ut in proficiente merces metu naufragii. At non est necesse, quod in omni agente ex metu reperitur affectus ad id, quod ex metu dimittitur; sic in eo, qui ex impetu iræ occidit hominem, aliudè sibi charum, transacta ira nullus remanet affectus ad hoc peccatum, de quo dolet ex metu inferni. Sic in viris sanctissimis, qui metu gehennæ abstinere a peccato, inter quos de S. Hieron. hæc referuntur verba: Ille igitur ego, qui ab gehennæ metum tali me carcere (vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum Monachis præbet habitaculum) ipse damnaveram, Scorpium tantum scieci & ferarum, nemo dicit remanere affectum ad peccatum, & abstinentionem a peccato esse mixtam ex voluntario & involuntario.

Inst. 2. Qui dolet de peccato ex metu gehennæ, habet hanc voluntatem conditionatam: non doleam, seu peccatem, si non esset infernus; sicut mercator proficiens merces metu naufragii habet hanc voluntatem conditionatam: non proficere, si non immineret naufragium: ergo. R. N. Ant. Cum enim sciat hanc voluntatem esse peccatum, & inductivum gehennæ, hoc ipso quo metus efficacitèr gehennam, hanc voluntatem deponit; sicut, si voluntas conditionatè non proficiendi merces, si non immineret naufragium, esset inductiva naufragii, eam deponeret mercator; non deponit verò, quia scit idè non casari naufragium.

Inst. 3. Si non esset infernus, non doleat: ergo habet voluntatem non dolendi, si non esset infernus. R. D. Ant. Si non esset infernus, non doleat ex metu inferni, C. ex alio motivo, N. Saltem posset dolere ex alio motivo, qui enim dolet de peccatis ex metu inferni, non excludit alia motiva; nec facit aut facere potest hanc comparationem: nolo dolere de peccatis propter Dei amorem, sed tantum propter metum inferni; id namquè foret inordinatum & peccaminosum: sed dolet propter infernum abstrahendo ab alio motivo dolendi, quo quidem foret moveretur, forte non: sed, sicut non est laude dignus propter bonum actum, quem fortè eliceret, ita nec vituperio dignus propter malum actum, quem fortè eliceret.

Huic questioni diutius non immoror; quia; ut jam monui, nihil confect ad principalem questionem de sufficienti attritionis secundum nostram sententiam modò stabilienam; in eaque

sam opinione, quod, negantes efficaciam timoris ad excludendam voluntatem peccandi, loquantur de exclusione contraria, non privativa tantum sensu superius explicato.

ARTICULUS VII.

Utrum ad justificationem cum Sacramento sufficiat attritio pure formidolosa? an e contra requiratur aliquis Dei amor, & qualis?

§. I. Prænotamina ex S. Thomæ.

Observandum 1. cum eruditissimo Magistro nostro P. Hennequiere in suo opusculo *De absolute sacramento*, duplicem attendi posse in nobis erga Deum amorem; scilicet, amorem concupiscentiæ, quo volumus Deum nobis bonum, ejusque beatitudinem nobis appetimus; & amorem amicitiae, quo Deo bonum ejusque beatitudinem & perfectionem volumus. Hic iterum est duplex, unus secundum quod & inchoatus, alter simplex & absolutus. Primus dicitur benevolentiae simplicis, alter benevolentiae amicitiae. Neque enim idem sunt, ut perique existimant, benevolentia & amicitia, seu charitas. Benevolentia est alterius principium, seu effectus; nam ex eo quod alicui volumus bonum, disponimus, ut ipsum amemus, & ad ipsum amicitiam habeamus; inde etiam quod aliquem amemus, & ad ipsum amicitiam habeamus, fit ut ipsi bonum velimus. Unde S. Thom. 2. 2. q. 27. art. 2. ad 1. dicit, quod cum Philosophus definit amare, quod est velle alicui bonum, definit amorem, non ponens totam rationem ipsius, sed aliquid ad ejus rationem pertinens, in quo maxime manifestatur dilectionis affectus. Est igitur hoc dicendum secundum D. Thom. inter benevolentiam & amorem amicitiae, quod benevolentia sit simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum sine redamatione ex parte ejus, ut dum videmus duos pugiles in certamine aliquid nobis ignotum, quorum unum vellemus vincere: est exemplum S. Thomæ loco cit. Amor autem, seu amicitia addit benevolentiae redamationem, seu unionem affectuum ad invicem. Amicus enim est amicus amicus, ut fert commune adagium. Placet verba S. Doctoris referre loco citato in corpore articuli, ubi inquirens, utrum amare, proit est actus charitatis (quam paulo ante definiat esse amicitiam, ut dicam modo) sit idem, quod benevolentia, sic respondet: *Dicendum, quod benevolentia proprie dicitur actus voluntatis, quo alteri bonum volumus. Hic autem voluntatis actus differt ab actuali amore, tam secundum quod est in appetitu sensitivo, quam etiam secundum quod est in appetitu intellectivo, qui est voluntas. Tunc paucis interjectis prosequitur: Amor (seu amicitia) importat quamdam unionem secundum affectum amantis ad amatum, in quantum scilicet amans estimat amatum quodam modo ut unum sibi, vel ad se pertinens, & sic movetur in ipsum. Sed benevolentia est simplex actus voluntatis, quo volumus alicui bonum, etiam non presupposita praedicta unionem affectus ad ipsum. Sic ergo in dilectione, secundum quod est actus charitatis (hoc est amicitiae, ut modo dicam) includitur aliqua benevolentia; sed dilectio, sive amor addit unionem affectus: & propter hoc Philosophus dicit ibidem, quod benevolentia sit principium amicitiae. Unde vulgo à Theologis assignatur tres conditiones requisitae ad amicitiam: 1. quod sit amor benevolentiae, non concupiscentiae; 2. quod sit mutus; 3. quod fundatur in aliqua communicatione, sive bonorum, sive secretorum, &c. inter amicos: sique benevolentia & amicitia conveniunt in 1. conditione, differunt in 2. & 3.*

Observandum 2. cum eodem ex eodem S. Thom. 2. 2. q. 23. art. 1. charitatem esse essentialiter amicitiam hominis ad Deum, quae sententia est communior Theologorum; verbi sunt S. Doctoris in corpore articuli: *Dicendum, quod secundum Philosophum in 8. Ethic. non quilibet amor habet rationem amicitiae, sed amor, qui est cum benevolentia, quando scilicet sic amamus aliquem ut ei bonum velimus... sed nec benevolentia sufficit ad rationem amicitiae, sed requiritur quaedam mutua amatio, quia amicus est amicus amicus. Talis autem mutua benevolentia fundatur super aliqua communicatione. Cum ergo sit aliqua communicatio hominis ad Deum, secundum quod nobis suam beatitudinem communicat (hic quidem in jure & spe per gratiam, in patria autem per gloriam) super hanc communicationem oportet aliquam amicitiam fundari, de qua quidem communicatione dicitur 1. ad Cor. 1. Fidelis Deus, per quem vocati estis in societatem Filii ejus. Amor autem, super hanc communicationem fundatus, est charitas. Unde manifestum est, quod charitas amicitia quaedam est hominis ad Deum. Itaque, ut aliquis amor sit charitas, eadem omnino requiruntur conditiones, quae requiruntur ad amicitiam: prima, quod sit amor benevolentiae; secunda, quod sit mutus, id est, quod ex parte Dei sit etiam aliquis amor benevolentiae erga hominem; tertia, quod amor ille mutus fundetur in communicatione beatitudinis, in quantum amor charitatis in Deo, cum sit*

supernaturalis & secundus, producit in nobis gratiam, quae est participatio divina naturae, & qua constituimur Filii Dei atque ejus beatitudinis haeredes.

Hinc colliges, charitatem, seu charitatis actum pro objecto formali respicere Deum, ferrique in ipsum, non quomodocumque consideratum, & ut in se tantum absolute bonus est, sed ut est nobis amicus seu ut redamans nos, ut nobis unitus, seu per beatitudinem, scilicet per gloriam & gratiam, nobis communicans. Non quod communicatio illa, seu unio & redamatio sit ratio diligendi Deum, ipsique bonum volendi; sed quod sit modificatio, seu conditio, sine qua actus benevolentiae, quo Deus secundum se & propter se, seu intuitu sui & non nostri volumus bonum, non est actus amicitiae, seu charitatis, nec Deus amicitiae objectum: sicut Deus, non visus, & nobis veritates revelans, est nostrae fidei objectum; non quod esse non visum sit ratio assentiendi Deo per fidem, sed quod sit conditio, sine qua assensus noster non esset fidei, nec Deus revelans objectum fidei. Quod & exemplis ab aliis rebus desumptis manifestum fieri potest: sic bonum nisi apprehensum non diligitur; ignis nisi applicatus non comburit; forma nisi uniatu totum non constituit: non quod apprehensio sit bono ratio formalis & motiva, ut diligitur; igni applicatio vis ut comburat; formæ unio ratio formalis ut totum constituat; sed quod apprehensio, applicatio, & unio sint conditiones, sine quibus nec ratio boni diligitur, nec virtus ignis comburit, nec formæ entitas totum constituit. Sic ergo, quavis Deus a seipso, hoc est, ab excellentia & bonitate propria habeat, quod per charitatis & amicitiae actum diligitur; non tamen per charitatis, sed per nudum benevolentiae actum attingitur, si antecedenter ad sui per gratiam, vel gloriam communicationem ipsi bonum appetitur; ut tam in divinis, quam in humanis sit absolute & universaliter verum, nullam sine communicatione dari actum amicitiae, secus benevolentiae.

Quandò itaque dicitur: Deus ut seipsum communicans, ut spiritaliter convivens, ut amicus, ut unitus, &c. est objectum charitatis; Ly ut non denotat id, unde habet Deus quod sit amicitiae & charitatis objectum, sed conditionem, sine qua non est charitatis objectum. Sicut, cum dicitur, ignis ut applicatus comburit, bonum ut apprehensum diligitur, forma ut unita totum constituit, Deo ut non viso creditur, Ly ut in istis non importat causam, aut rationem formalem, ob quam predicatum de subjecto dicitur, sed modificationem, illius sui conditionem sine qua non; adeoque, proprie loquendo, nec specificativè, nec reduplicativè sumuntur, sed conditionè tantum. Hæc prælaudatus Theologus, quæ vix immutata retuli, quia vix potuit melius dici.

Scio quidem, quosdam Recentiores Thomistas paulo aliter distinguere inter benevolentiam & charitatem. Dicunt enim, actum benevolentiae differre ab actu charitatis, quod actus benevolentiae sit affectivus tantum & inefficax; actus autem charitatis effectivus, efficax, & totius legis adimpleturus: neque tamen hos actus inter se differre tantum accidentaliter penes magis & minus intensum, sed etiam essentialiter ratione diversi modi, quo idem objectum attingitur; sicut, inquit, contingit in peccato mortali & veniali. Neque enim concedunt, quod actus inefficax idem essentialiter manens possit fieri efficax, sicut minus efficax idem essentialiter manens potest fieri magis efficax; sed, quod adveniente efficaci inefficax transiit, sicut simplex velleitas, seu complacentia transit adveniente voluntate absoluta, quæ a simplici velleitate essentialiter distinguitur.

Equidem non inficias ibo, actum charitatis esse efficacem, & actum inefficacem posse essentialiter distingui ab efficaci. At, quantumvis sit noster erga Deum amor efficax, si ibi sistas & non supponas Deum redamantem, atque se bonis per gratiam communicantem, habes tantum amorem benevolentiae, non amorem charitatis, seu amicitiae, quippe quæ juxta S. Thom. fundatur in unionem affectuum & communicationem mutua. Si dicas: Hoc ipso quo amor hominis erga Deum est efficax, Deus hominem redamat. Si ita; sed ex illa redamatione & non ex efficacia actus nostri repetenda est distinctio formalis inter benevolentiam & charitatem. Hærendum itaque arbitror principis, positis ex Angelico Doctore. Sunt etiam quidam, qui scrupulose refugiant vocare actum benevolentiae amorem; sed de nomine non litigamus: dicatur amor, dicatur simpliciter actus benevolentiae, perinde est nobis, qui per amorem benevolentiae non intelligimus nisi simplicem actum voluntatis, quo volumus bonum Deo nondum redamanti, nec se per gratiam, aut gloriam adhuc communicanti.

Circa questionem propositam in titulo, multiplex est Theologorum opinio. Quidam volunt, ad justificationem cum Sacramento sufficere attritionem pure formidolosam: alii requirunt amorem spei, seu concupiscentiæ. Sed hi non multum distant a primis, inter quos pauci sunt, qui excludunt amorem con-

cupiscentiæ; alii requirunt amorem benevolentiae, alii amorem charitatis. Antè resolutionem præmittendum censo, Alexandrum VII. in Decreto S. Inquisit. dato feria V. Maii 1667. in virtute S. Obedientiæ, & sub poena Excommunicationis late sententiæ præcepisse, ut nemo audeat alicujus Censuræ Scholasticæ, alteriusve injuriæ, aut contumeliæ nota taxare alterum am Sententiam; sive negantem necessitatem aliquis dilectionis Dei in præfata attritione ex metu gehennæ concepta, quæ hodie inter Scholasticos communior videtur; sive asserentem dictæ dilectionis necessitatem; donec ab hac S. Sede fuerit aliquid in hac re definitum. Dicit Decretum quæ hodie, id est, anno 1667. videtur communior; quod non puto, nunc posse dici.

§. II. Requiratur amor charitatis.

Non est modò questio de charitate habituali. Quamvis enim Magister Sententiarum & quidam antiqui olim censuerint, peccatorem semper justificari per contritionem gratia & charitate habituali formatam, priusquam susciperet Sacramentum; ideoque Sacramento non reconciliare Deo, sed Ecclesiæ; neque remittere peccata, sed tantum poenam peccatorum; neque conferre primam gratiam, sed primam collatam dumtaxat augere; ista opinio inolevit, neque posset facile conciliari cum definitionibus Concilii Trid. damnatione propositionum Bii, potestate clavium, efficacia & institutione Sacramenti Poenitentiae, quæ est, ut conferat primam gratiam peccatorum remissivam, ut probavimus Dissert. 1. a. 3. §. 2. Require. Unde hodierni assertores charitatis in attritione requirunt tantum charitatem actuale, neque talem, quæ inferat, aut supponat charitatem habituale, sed debilem & remissam, quæ peccator, ut voluit, non justificetur, antequam Sacramentum suscipiat. Et forte per charitatem actualem nihil aliud intelligunt quam amorem Dei benevolentem super omnia; quem male confundunt cum actu charitatis, non satis attendentes ad distinctionem inter utrumque actum, quam ponit S. Thom. ut vidimus §. præced. sed quidquid sit.

Dico. In attritione salutari & sufficiente ad justificationem cum Sacramento non requiritur aliquis actus charitatis, quantumvis debilis & remissus. Prob. Ad attritionem, quæ cum Sacramento justificationi sufficit, ad requiruntur actus, qui antè realem Sacramenti susceptionem habeat infallibiliter annexam gratiam justificantem; atque actus charitatis quantumvis debilis & remissus habet infallibiliter annexam gratiam justificantem antè realem susceptionem Sacramenti: ergo, Maj. patet ex his, quæ modò dicebamus de charitate habituali, & admittitur ab Adversariis; præsertim quia aliqui Sacramentum Poenitentiae nunquam causaret id, ad quod causandum est per se primum institutum, scilicet remissionem peccatorum, est enim Sacramentum mortuorum, sed semper causatum supponeret. Prob. Min. 1. Actus charitatis, quantumvis debilis & remissus, est actus efficax erga Deum, ut diximus §. præcedenti, consequenter habet omnes conditiones, seu proprietates amicitiae, scilicet fertur in Deum ut amicum, ut redamantem, ut nobis unitum, seuque nobis communicantem per beatitudinem in spe, vel in re; atque hæc non habentur nisi per gratiam sanctificantem, qua constituuntur participes divinæ naturæ, amici Dei, filii, & hæredes: ergo.

Si dicas, id intelligendum esse de actibus charitatis, ab habitu charitatis procedentibus. R. 1. N. Suppositum Antecedentis, scilicet posse dari actum charitatis, qui non procedat ab habitu charitatis in genere cause efficientis, licet possit natura præcedere in genere cause materialis & dispositivæ; posito enim quod charitas actualis sit amicitia ad Deum, debet necessarîo supponere Deum redamantem per gratiam & infusionem virtutum. Unde Auctor 3. p. q. 85. art. 6. ait: *Dicendum est, quod actus quidam laudabiles etiam tempore præcedere possunt actum & habitum poenitentiae, sicut actus fidei & spei infirmum, & actus timoris servilis: Actus autem & habitus charitatis simul tempore cum actu & habitu poenitentiae, & cum habitibus aliarum virtutum: ergo etiam simul cum gratia sanctificante, ad quam habitus virtutum consequuntur, & a qua nunquam separantur.* 2. Dato Ant. Vel iste actus charitatis non procedens ab habitu est ejusdem speciei cum eo, qui procedit ab habitu, vel non. Si 1. ergo in idem objectum formale, & eodem modo tendit, adeoque in Deum, ut amicum & redamantem. Si 2. ergo non est essentialiter actus charitatis, cum charitas sit species a thoma, sed ad lineam benevolentiae revocari debet.

Si reponas, hos actus distingui ex parte principii, si non ex parte objecti. R. Vel illa distinctio ex parte principii constituit eos diversæ speciei essentialis, vel non; quodvis dicitur, recurrit solutio modò data. Insuper sufficit ad conclusionem nostram, quod iste actus habeat idem objectum formale.

Prob. 2. Prima Min. Argumenti ex damnatione sequentium

propositionum, vulgò Baiarum: *Charitas perfecta & sincera, quæ est ex corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta, tam in catechumenis, quam in poenitentibus potest esse sine remissione peccatorum.* Est 31. *Catechumenus justè, rectè, & sanctè vivit, & mandata Dei observat, ac legem implet per charitatem antè obtentam remissionem peccatorum, quæ in Baptismi lavacro demùm præcipitur:* Est 33. Neque dicas, has propositiones esse intelligendas vel de charitate actuali intensa, vel de charitate habituali; nam prima loquitur de charitate, quæ sit perfecta & sincera, quatenus est ex corde puro, conscientia bona, & fide non ficta; Charitas autem etiam non intensa est hoc sensu perfecta & sincera; est enim de corde puro, conscientia bona, & fide non ficta. Secunda videtur aperte loqui de charitate actuali, per quam scilicet catechumenus rectè, justè & sanctè vivit, & legem implet: hæc enim important actum.

Obj. Si in attritione requisita ad justificationem cum Sacramento non requireretur actus charitatis saltem debilis & remissus, ideo esset, quia hujusmodi actus habet inseparabiliter annexam justificationem; atque falsum Consequens: ergo. Probat Min. ex variis Scripturis & Patribus, qui ad justificationem extrâ Sacramentum requirunt amorem, dilectionem, charitatem magnam, intensam ex toto corde, &c. & pluribus rationibus: ergo. R. N. Min. Ad Probat. Hæc omnia intelligenda sunt de charitate inchoata, & late sumpta pro amore benevolentiae, quem fatemur debere esse intensum ad justificationem extrâ Sacramentum; non verò de charitate strictè sumpta pro amicitia inter Deum & hominem.

Inst. 1. Concilium Trid. Sess. 14. cap. 4. declarat, reconciliationem non haberi extrâ Sacramentum, nisi per contritionem Charitatem perfectam; atque ibi intelligitur charitas strictè sumpta: ergo ad justificationem non sufficit charitas actualis, debilis, & remissa. R. N. Conseq. Non enim idem est contritio charitatis perfecta, & contritio, seu charitas intensa, cum minima contritio, modò sit vera contritio, sit charitas perfecta, id est, talis, quam perficit charitas; & ad perficiendam contritionem non requiritur perfecta, seu intensa charitas, sed sufficit qualicumque etiam remissa, modò habeat essentiam charitatis, qua nempe diligitur Deus appreciativè super omnia.

Inst. 2. Juxta Aug. & alios Patres ad justificationem extrâ Sacramentum ita requiritur perfecta contritio, ut sit & perfecta charitas: ergo utraque intensa. R. N. Conseq. Perfectio enim tam contritionis, quam charitatis, petitur non solum ex intentione, sed etiam ex appropriation, seu electione voluntatis, qua Deus præfertur omnibus in amore, & peccatum in detestatione. Quid autem Aug. per charitatem perfectam intelligat, exponit Auctor 2. a. q. 24. art. 9. *Perfectam* vocat, non intensam, sed cujus principale studium est, ut Deo inhaereat, eoque fruatur: *Proficientem*, seu roboratam, quæ principaliter studet, ut in bono proficiat: *Parvulam* vero, seu incipientem, quæ potissimum incumbit, ut a peccato recedat, & concupiscentiis resistat. Hæc autem perfectæ charitatis notio non convenit adversariis, qui illam reponunt in intentione.

Inst. 3. Si quilibet actus charitatis, quantumvis debilis & remissus, habet semper annexam justificationem, non erit ita difficilis, ut multi existimant, hominis justificationem extrâ Sacramentum; nec erit, cur tam sint solliciti fideles pro absoluteione sacramentali; atque hoc videtur inconveniens: ergo. R. N. Ant. Non enim actus charitatis, quantumvis remissus, est ita facilis, siquidem, ut patet ex prænotatis, supponat Deum redamantem, & se nobis communicantem per gratiam justificantem, & habitum charitatis: Deus autem gratiam justificantem, & cum ea habitum charitatis non infundit extrâ Sacramentum quovis modo poenitentem etiam ex motivo benevolentiae sed poenitentem intense juxta quantitatem malitiæ peccatorum, vel ex puro motivo amoris benevoli, sine adminiculo timoris servilis, & motivi proprii interesse; quod certe non ita facile est, nec frequens inter homines, maxime mundo & concupiscentiis servientes.

Inst. 4. Si vera sit sententia nostra, sequitur, quod homo poterit salvari, esse in gloria, absque eo quod unquam præceptum charitatis impleverit; v. gr. pone casum, quod impius in fine vitæ convertatur ex timore cum solo actu benevolentiae, & statim ac subito post absoluteionem moriatur; justificabitur secundum nos, consequenter salvabitur; numquam tamen adimplevit præceptum charitatis, cum totam vitam in impietate duxerit; atque hoc videtur absurdum: ergo. Respondent quidam, non esse inconveniens talem hominem salvari, quia impossibilis tunc ipsi redditur adimpletio mandati, male quidem fecit non adimplendo prius, sed ipsam talis peccati, ut supponitur, poenituit. Respondent alii, & melius ex D. Th. in 2. d. 28. q. 1. art. 3. præceptum dilectionis sufficienter impleri, ut quis ab ejus transgressione mortali excusetur, per amorem Dei benevolentem super omnia; quo actu diligit, & diligere debent Deum omnes catechumeni & poenitentes; ut docet Trid. sess. 6.

cap. 6. requirens, ut Deum tamquam omnis iustitie fontem diligere incipiant. R. 3. Etiam ipsum peccatorem instanti justificationis non solum recipere gratiam & charitatem habitua-lem, sed etiam elicere actum charitatis; quia gratia sanctifi-cans cum charitate habituali non ipsi infunditur modo quasi mortuo, sed eam actu voluntario & libero recipit, & in amicitiam Dei voluntarie consentit; hæc autem actualis, & libera acceptio gratiæ, & in amicitiam Dei consensio, quid est aliud quam actus charitatis ex ipsa gratia sanctificante, & habitua-li charitate, in genere causæ efficientis consequens, licet possit dici illam naturam præcedere in genere causæ materialis & dispositivæ. Hæc solutio haurio ex Concilio Trid. & S. Th. Con-cilium Trid. sess. 6. cap. 7. sit habet: *Justificatio non est sola peccatorum remissio, sed renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum, quibus homo efficitur ex iniusto iustus, ex inimico amicus.* S. T. 1. 2. q. 113. art. 3. o. Deus, inquit, ita infundit donum gratiæ sanctificantis, quod etiam simul cum hoc movet liberum arbitrium ad donum gratiæ acceptandum in his, qui sunt hujus motus capaces. Et art. 4. ad 1. *Motus fidei non est perfectus, nisi sit charitate informatus. Unde simul in justificatione impium cum motu fidei est etiam motus charitatis; movetur autem liberum arbitrium in Deum, ad hoc quod est se subiciat. Unde etiam concurrunt actus amoris filialis (qui est a charitate) & actus humilitatis.*

Si dicas, poenitentes plerumque, saltem rudes, ignorare, quid sit gratia sanctificans, quid charitas habitualis: ergo dici non potest, quod actu libero illas suscipiant, aut in eas consentiant. R. Quod, licet poenitentes non cognoscant explicitè naturam gratiæ & charitatis, sciunt tamen in ipsa justificatio-ne operatione divina fieri aliquid in eis, quo intrinsecè mutan-tur, & sunt iusti, & amici & amici, cum antea essent peccato-res, iniusti & amici; in id autem voluntarie consentiunt, & hoc sufficit.

§. III. Aseritur necessitas amoris benevoli in attritione.

Dico. Ad justificationem cum Sacramento Poenitentia con-sequendam non sufficit attritio ex metu concepta, etiam amore spei, seu concupiscentiæ, sed requiritur amor Dei benevo-lus. Prob. ex Concil. Trid. Sess. 6. c. 6. ubi agit de poenitentia nec-essaria ad Baptismum in adultis. Hæc sunt ejus verba: *Dispo-nuntur ad ipsam justitiam, dum excitati divina gratia. Libere moventur in Deum credentes vera esse, que divinitus revelata & promissa sunt... & dum peccatores se esse intelligentes di-vine justitiæ timore, quo nihiliter concutiuntur, ad consideran-dam Dei misericordiam se convertendo, in spem eriguntur, fi-dentes Deum sibi propter Christum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur adversus peccata per odium aliquod & detestationem, hoc est, per eam poenitentiam, quam ante Baptismum agi oportet.* Quibus verbis Concilium requirit tres condiciones ad poeni-tentiam, quæ agi debet ante Baptismum, scilicet fidem, cui con-jungitur timor, spes, & inchoatam dilectionem; atqui non minor, imò major requiritur poenitentia ad Sacramentum Poenitentia, quam ad Baptismum: ergo.

In omne latus se vertunt Adversarii, ut huic argumento satisfaciant. Dicunt 1. Concilium esse intelligendum de amore spei, seu concupiscentiæ. Sed contra 1. Concilium requirit amo-rem distinctum a spe: ergo distinctum ab amore concupiscentiæ, seu spei; spes enim necessariò præsupponit amorem concupiscentiæ, & in eo fundatur. Unde Auctor 1. 2. q. 40. art. 7. *Nec est spes, inquit, nisi de bono desiderato & amore.* Et q. 62. art. 4. ad 3. *Spes respicit duo, unum quidem sicut principale ob-jectum, scilicet bonum quod speratur, & respectu hujus semper amor præcedit spem; nunquam enim speratur aliquid bonum, nisi desideratum & amatum.* 2. Diligere Deum tanquam omnis justitiæ fontem, ut loquitur Concilium, non est ipsum diligere amore concupiscentiæ, sed amore benevolentia; est enim ipsum diligere tanquam primitivam & fontalem justitiam, a qua omnis æquitas, rectitudo & justitia profluit, sicque est ipsum amare ut finem ultimum: quia, ut communiter docent Theologi post S. Th. sic se habet finis ultimus in moralibus, sicut primum principium in demonstrabile in speculativis: sicut ergo a primo principio provenit omnis certa veritatis cognitio, ita a fine ultimo profluit omnis justitiæ, æquitatis, & rectitudinis ratio; dili-gere autem Deum ut finem ultimum pertinet ad benevolentiam, non ad concupiscentiam. Unde ipse Suarez, attritionis formidolo-sæ assertor in 3. p. D. Th. Disp. 4. Sect. 8. dicit: *Diligere Deum ut omnis iustitiæ fontem, non est diligere amore concupiscentiæ, sed est diligere Deum ut Auctorem gratiæ, quomodo charitas diligit ipsum.* Et Tannerus, alter formidolosæ attritionis asser-tor Tom. 4. Disp. 6. q. 2. Dub. 4. num. 74. dicit, quod hæc sit communis mens & sententia Doctorum.

Dicunt 2. Concilium debere intelligi non de actuali dilec-

tione, sed de principio extrinseco dilectionis, quod est propo-situm servandi mandata. Sed contra 1. Concilium exigit dilec-tionem distinctam a proposito, siquidem verbis citatis immed-iate subjungat: *Denique dum proponunt suscipere Baptismum, inchoare novam vitam, & servare divina mandata.* Imò ex dile-ctione Concilium deducit propositum; postquam enim statuit necessitatem dilectionis, dicit: *Ac propterea moventur adver-sus peccata per odium aliquod... proponunt servare mandata.* Sicut enim ex dilectione Dei oritur odium peccati; sic ex odio peccati nascitur propositum non amplius peccandi. 2. Qui ha-bet solum voluntatem aliquid faciendi & nondum facit, non ni-si admodum improprie dicitur, quod illud incipiat facere; ne-mo enim dicit, quod is, qui manè habet propositum ambulandi a meridie, jam incipiat ambulare; nefas est autem hujusmodi improp-rias locutiones tribuere S. Synodo, quæ in omnibus accuratam & præcisam terminorum significationem sectatur. 3. Nemo est sufficienter dispositus ad gratiam in Sacramento consequendam, quamdiù manet coarctatus ad creaturam, tanquam ad finem ultimum; in hoc enim sita est tota peccati inordinatio & mali-tia; atqui simplex propositum servandi mandata & diligendi Deum non tollit conversionem sive actualem, sive virtualem peccatoris ad creaturam tanquam ad finem ultimum; non enim sunt actus impossibiles propositum seu desiderium dili-gendi Deum ipsaque præferendi omnibus suo tempore, seu in futuro, & ipsum non diligere de facto, atque ipsi de facto & in præsentia creaturam præferre. Necesse est ergo, quòd actu præferat Deum omnibus, & de facto ipsum habeat pro fine ultimo, quòd est actualis amor, & non simplex propositum amandi.

Dicunt 3. Concilium loqui de dispositione congrua tan-tum, non necessaria, siquidem inter dispositiones referat di-vinæ justitiæ timorem, sine quo tamàn potest obtineri in Sa-cramento justificatio hominis. Sed contra 1. Hanc Responsio-nem planè evertunt verba Concilii; cum post recensitam fidem, timorem, spem, dilectionem, & odium peccati ut dispositio-nes, addit: *Hoc est, per eam poenitentiam, quam ante Baptis-mum agi oportet: quæ vox, oportet, indubie importat necessita-tem, sicut cum dicit duabus lineis infra ex Apost. accedentes ad Deum oportet credere, quia est incredibile namque est, quòd intra duas lineas eandem vocem diverso sensu usurpaverit.* 2. Juxta Pallavicinum l. 8. Hist. c. 13. actus amoris huic capiti 6. Sessionis sextæ insertus est a Patribus, tanquam nec-essarius, ut fructuosa esset poenitentia: *Visum est, inquit Emper-ricissimus Historicus, cum fide & ipse jungere aliquem dilectionis actum, quia, si poenitentia tota esset ex timore sine amore jus-titiæ, & dolor esset propter penam tantum & non propter Dei offensam, infructuosa esset.* Ad id, quod additur de timore, R. Concilium respexisse ad consuetum modum justificationis, juxta quem timor est necessarius; dum enim annuntiat fides adultis non baptizatis, solent ante omnia concuti metu sup-pliciorum Inferni. Unde probavimus supra ex D. Th. timorem esse principium poenitentia.

Dicunt 4. Concilium agere de Poenitentia justificante ex-trà Sacramentum, & non cum Sacramento. Idque probant 1. Quia alioquin hæc poenitentia foret sacramentalis, sicut poenitentia requisita ad Sacramentum Poenitentia; quòd est con-tra mentem Concilii, teste Card. Pallavicino l. 8. c. 13. ubi ait: *Fuisse consulto posita hæc verba, quam ante Baptismum agi oportet, ad diversificandam hanc poenitentiam ab illa, quæ re-quiritur in homine baptizato, & de qua dicitur in Canone (capite 14.) quæ est poenitentia sacramentalis.* 2. Quia Con-cilium inter dispositiones requisitas ad illam Poenitentiam ante Baptismum recenset votum Baptismi: *Denique, inquit, dum proponunt suscipere Baptismum, Poenitentia autem, quæ inclu-dit votum Baptismi, ea non est, quæ in ipsa actuali susceptio-ne Baptismi est necessaria; sicut dum Concilium c. 14. ejusdem Sess. 6. dicit, in poenitentia hominis lapsi post Baptismum Con-tineri non modo cessationem a peccatis & eorum detestationem... Verum etiam eorundem sacramentalem confessionem saltem in voto, & suo tempore faciendam, intelligit de poenitentia extra Sacramentum necessaria & justificante, quando ipsum Sacra-mentum re frequentari non potest.* Sed contra. Concilium loqui de Poenitentia justificante cum Sacramento, constat 1. ex eo quòd usurpet hæc S. Petri verba Act. 2. *Poenitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in remissionem peccatorum.* Quibus verbis manifestè significat, se intelligere de justificatio-ne, seu remissione peccatorum in actuali susceptione Baptismi. 2. Quia c. 7. seq. dicit causam instrumentalem justificationis, quæ consequitur dispositiones, de quibus egerat c. 6. præce-denti, esse Baptismum: *Hanc dispositionem, inquit, seu præ-parationem justificatio ipsa consequitur... Hujus justificationis causa sunt; finalis quidem, gloria Dei & Christi, ac vita æterna; efficiens verò misericors Deus... meritoria autem dilectissimus unigenitus suus Dominus noster Jesus Christus... Instrumentalis*

lis itum Sacramentum Baptismi: ergo de justificatione in ipsa actuali susceptione Baptismi loquitur.

Ad 1. Probationem, R. Poenitentiam necessariam ad justi-ficationem in ipso Sacramento Baptismi non esse sacramenta-lem, eo sensu quò poenitentia in baptizatis lapsis est sacramen-talis, quia hæc est pars Sacramenti, non illa; & in hoc voluit Concilium diversificari illas poenitentias. Est tamen sacra-mentalis hoc sensu, quòd sit necessaria dispositio ad fructuosè suscipiendum Sacramentum. Ad 2. Probationem, N. Conseq-dum enim Concilium dicit poenitentiam hominis lapsi include-re peccatorum sacramentalem confessionem, saltem in voto, & suo tempore faciendam, manifestè his verbis, suo tempore fa-ciendam, significat se sumere confessionem *In voto*, prout dis-tinguitur contra confessionem in re, seque agere de poeniten-tia requisita ad Baptismum loquitur; hæc enim verba, *Dum proponunt suscipere Baptismum*, obvio, & naturali sensu intelli-guntur de proposito, quòd præcedere debet in eo, qui se ad Baptismum re suscipiendum reipsa disponit.

Dicunt denique. Esto Concilium requirat aliquem amorem benevolam ad Baptismum, tamèn cum sess. 14. refert dispo-sitiones ad Sacramentum poenitentia, non meminit alicujus di-lectionis, quamvis in proemio dicat se de illo Sacramento traditurum ex actionem, & pleniorè definitionem. Sed contra 1. Non minore, imò majorem requiri dispositionem ad Sa-cramentum poenitentia, quam ad Sacramentum Baptismi, omnibus pervium est. Non enim major est efficacia Poeniten-tia, quam Baptismi, imò minor: non minora sunt peccata post Baptismum, quam ante, imò majora, & idèd major obligatio amandi. Denique juxta SS. Patres, & Theologos Poenitentia est secundus, & laboriosus baptismus. Cur autem Concilium non meminit initialis dilectionis agens de Poenitentia? Ratio in promptu est, inquit Illustrissimus, ac Doctissimus Bossuetius, quia semè dixisse sufficit: quæ enim dixit Concilium de dispo-sitionibus ad Baptismum, eas esse voluit communes utrique Sa-cramentum Baptismi, & Poenitentia. Neque id gratis dicitur, sed constat ex ipso sess. 14. proemio, ubi sic habetur: *Quamvis in decreto de justificatione multus fuerit de Poenitentia Sacra-mento, propter locorum cognitionem, necessaria quædam ra-tione sermo interpositus, tanta nihilominus circa illud nostra hæc atate diversorum errorum est multitudo, ut non parum pub-licæ utilitati contulerit de ea exactiorem, & pleniorè defini-tionem tradidisse.* Ubi vides, Decretum de justificatione esse utri-que Sacramento commune, & exactiorem, & pleniorè tracta-tionem de Poenitentia, quam ibi proponit Synodus, spectare erro-res tunc grassantes. Et hæc adeo sunt vera, ut dum Concilium cap. 2. hujus sess. 14. ex professo agit de differentia Sacra-menti Poenitentia, & Baptismi, nullum discrimen, quoad dispo-sitiones utriusque necessarias, statuat. 2. Esto non meminerit explicitè in isto Decreto sess. 14. amoris requisiti ad Sacra-mentum Poenitentia, meminit tamèn implicitè, ut mòx pa-tebit.

Prob. 2. Conclusio. Nulla attritio est sufficiens ad justifica-tionem cum Sacramento consequendam, nisi sit dolor, & odium peccati, ut est malum, & offensæ Dei; atqui non potest esse dolor, & odium peccati, ut est malum, & offensæ Dei, sine amore Dei benevoli ergo. Minor est certa; quia, ut jam dixi, odium alicujus mali nascitur ex amore boni oppositi: sic odi mortem, quia diligo vitam; doleo de malo Petri, quia amo bonum illius. Undè Auctor 2. 2. q. 25. art. 6. ad 1. *Ejusdem ratio-nis est, inquit, odire malum alicujus, & diligere bonum ejus; quod repetit ibid. q. 34. art. 4.*

Tota ergo difficultas est in Majori, quæ prob. 1. Ex S. Th. qui 3. p. q. 85. art. 2. & q. 86. art. 3. disertè docet, ad rationem veræ poenitentia requiri, quòd sit de peccato, ut est contra Deum super omnia dilectum, & ejus offensæ, atqui ad justificationem, sive cum Sacramento, sive sine Sacramento, requiritur vera poenitentia: ergo. Prob. 2. eadem prima Maj. Nulla est attritio sufficiens ad justificationem cum Sacramento, nisi sit de peccato, ut peccatum est formalitè; atqui pecca-tum formalitè ut peccatum est malum, & offensæ Dei: ergo. Min. videtur certa, tum ex D. Th. 1. 2. q. 71. art. 6. ad 5. di-cente: *A Theologis consideratur peccatum præcipue secundum quòd est offensæ contra Deum; a Philosopho autem morali, secundum quòd contrariatur rationi: idèd Aug. convenientius definit peccatum ex hoc, quòd est contra legem æternam, quàm ex hoc quòd est contra rationem.* Tum ratione; quia, posita ra-tione offensæ Dei, & quovis alio per rationem præcisò, habe-tur theologice peccatum; ea autem ratione præcisæ, & qua-vis alia posita, ut quòd sit nocivum peccatori, contrarium rationi, &c. non habetur peccatum theologice, sed habentur tantum ejus proprietates, & effectus. Prob. Itaque Maj. Vera poenitentia, seu contritio ut sic, prout est genus commune ad contritionem perfectam, & imperfectam, definiatur communitèr Theol. Billuart. Pars Tertia.

a Theologis, & a Trid. sess. 14. c. 4. *Animi dolor, & detestatio de peccato*, quòd proinde convenit contritioni imperfectæ, quia species participat rationem generis: undè Trid. ibid. dicit, quòd hæc contritio communis, quam definit, sit quovis tempore nec-essaria, adeoque etiam cum Sacramento; atqui ista definitio, & a Theologis, & a Trid. tradita, debet intelligi de peccato formalitè, ut peccatum est, tum quia alioquin dictio Concilii, & defini-tionis communiter tradita, foret impropria, materialis, & per accidens; sicut, si dicerem: sapidum videtur, & coloratum gustatur, quòd dici non potest de Concilio, nec de definitione communiter tradita; tum quia, juxta regulam Dialecticæ ab omnibus receptam, terminus significans actum animi interio-rem applicat suum proprium conceptum, seu propriam actio-nem supra significatum formale termini, cui jungitur, nisi ali-quid obstat in sermone, quòd manifestè trahat ad materiale. Sic dum David dicebat: *Iniquos odio habui*, id est, formalitè ut iniquos. Sic cum dico: cognosco venientem, id est, forma-litè sub ratione venientis. Ergo, cum dico: doleo de peccato, intelligitur de peccato formalitè, ut peccatum est.

Confirm. (Suppl. q. 3. art. 1. ad 4.) Ex inconcusso principio D. Th. *Quantitas displicentiæ, inquit, de aliqua re debet esse secundum quantitatem malitiæ ipsius: malitia autem in culpa mortali mensuratur ex eo, in quem peccatur, in quantum est ei indigna, & ex eo qui peccat, in quantum est ei nocivus. Et quia homo debet magis Deum, quam seipsum diligere; idèd debet plus odire culpam in quantum est offensæ Dei, quàm in quantum est ipsi nociva.* Itaque in peccato est duplex malum, unum Dei, cui est indignum, & quem offendit, alterum hominis, cui est nocivum; primum majus, secundum minus. Undè sic arguo: ut quis doleat de peccato sufficienter ad justificationem cum Sacramento, debet dolere conformitèr ad rectam rationem, ma-gis de majori malo, minis de minori, consequentèr magis de peccato, ut est offensæ Dei, quàm ut est nocivum poeniten-ti; atqui formidolosè attritus sine amore Dei benevoli, non so-lum non dolet magis de peccato, ut est offensæ Dei, sed nullatenus dolet: ergo.

Ex his manifestè colliges 1. Insufficientem esse amorem spei, seu concupiscentiæ, quia ex illo non habetur dolor de peccato, ut est malum Dei, sed tantum ut est malum homi-nis; neque per eum diligitur Deus, ut ultimus finis. Colliges 2. Amorem Dei benevolam necessariam cum Sacramento debere esse super omnia appetitivè. Ratio est; quia debet esse amor Dei, ut ultimi finis. Ultimus finis autem super omnia amat; definitur enim id, quòd propter se amat, & propter quòd cætera amantur: ergo. Prob. Major. 1. Quia diligere Deum, ut omnis justitiæ fontem, qualitèr debet diligere poenitens jux-ta Trid. est ipsum diligere ut ultimum finem, ut ostendimus in primo argumento, response ad primam instantiam. 2. Quia malitia peccati, ut est malum, & offensæ Dei, in eo sita est, quòd contempto Deo habeat creaturam pro fine ultimo; ergo, qui ex amore Dei dolet de peccato, ut est illius malum, & id vult ab ipso remotum, amat Deum ut ultimum finem.

Hic lapsus passus est Recentior Thomista, dum art. 1. Dissertat. suæ Theologiae pag. 12. hanc sententiam denegat eximio viro P. Hennequier, cuius tamèn hæc est 2. Conclusio Art. 4. Opusculi de Absolutione sacramentali. *Actus benevo-lentiæ, quo poenitens fertur in Deum, vultque ab ipso remotum peccati malum, est suo modo amor Dei super omnia.* Idque probat; quia, ut modò dicebamus, hoc est amare Deum ut ul-timum finem. Additque vir eximus, se dixisse suo modo, non ut imminuatur aliquid de ly super omnia; sed quia, ut dixi-rat superius ex D. Th. benevolentia non est simpliciter, & per-fectè amor Dei saltem amicitia, sed ipsius principium, & in-choatio. Est tamèn, prosequitur, amplius quam amor concupis-centiæ, quò Deum volo mihi bonum, non quò Deo volo bonum: imò est multò excellentior illo, quem nonnulli amorem Dei su-per omnia, non effectivum, sed affectivum vocant; qui, cum non de facto, sed solum in voto, & proposito Deum præferat omnibus, non videtur adhuc excludere affectum peccati, sed solum illius faciendi habere desiderium, & propositum. Ità lau-datus Hennequier. Fallor tamèn, si omnes per amorem defecti-vum intelligant tantum propositum amandi. Quidam enim videntur, saltem quantum conjicio ex eorum lectione, per amorem affectivum intelligere amorem actualem, sed debiliem, & remissum; & per effectivum, amorem roboratum, & effica-cem ad impletionem legis.

Prob. 3. Juxta SS. Patres, & omnes Theologos, rarissima est, ac difficillima vera, ac sincera poenitentia, quæ ad mortem usque differtur; atqui, si ad eam sufficiat timor sine ullo amo-re Dei benevoli, non erit difficillima, nec rarissima, cum in articulo mortis maxime urgeat metus Inferni: ergo.

Prob. 4. convellendo præcipuum adversariorum fundamen-tum. Idèd amor Dei benevolus secundum Adversarios non est necessarius ad justificationem cum Sacramento, præcipue quia

omnis amor Dei propter se, qualis est amor benevolus, justificat ante Sacramentum, & independentè ab illo; atqui id prorsus falsum est; & certò datur amor Dei propter se, quo non justificatur peccator ante susceptionem Sacramenti: ergo. Prob. Min. multipliciter, & 1. ex Concilio Trid. Sess. 6. cap. 6. ubi inter dispositiones ad justificationem reponit, quòd Penitens Deum tanquam omnis justitiæ fontem diligere incipiat, & hanc dispositionem ut præviã tempore ad justificationem requirit; tùm quia de ea eodem modo loquitur, ac de fide, & spe, quæ justificationem tempore præcedunt; tùm quia cap. seq. 7. dicit, quòd hanc dispositionem justificatio sequitur, non in ipso instanti, sed quando confertur Sacramentum, ut ibid. docet. Adde, quòd, cum quidam Patres dicerent dilectionem in hoc cap. sexto reponi inter dispositiones ad justitiam consequendam; & in c. 7. sequenti poni tanquam ipsius justitiæ formam Respondendum Decretis formatoribus, inquit Pallavicinus libr. 8. c. 14. in 1. loco (cap. 6.) sermonem esse de quadam charitatis (scilicet inchoatæ) actu, cum sit aliqua dilectio in homine non quidem obinente, sed exoptante justitiam: at in 2. (cap. 7.) significari habitum charitatis: ergo manifestum est, Patres Tridentinos consensisse non omnem dilectionem Dei super omnia statim justificare hominem. Item eadem Sess. 6. Can. 3. dicit: Si quis dixerit, sine præcedente Spiritus S. inspiratione, atque ejus adjutorio hominem credere, sperare, diligere, aut penitere posse, sicut oportet, ut ei justificationis gratia conferatur; anathema sit. Ergo a contrario potest homo cum adjutorio Dei diligere sicut oportet, absquò eo quòd ipso instanti justificetur, sed ut justificetur, quòd importat prioritatem temporis: eo maxime, quòd eodem modo loquitur Concilium de ista dilectione, & de fidei, Spei, & Penitentis actibus, quos certum est posse tempore præcedere ipsam justificationem. Insuper probavimus supra, attritionem, quam Sess. 14. cap. 4. dicit non justificare sine Sacramento, non concipi sine amore benevolò.

Prob. 2. eadem Min. ex S. Th. qui 3. p. q. 83. art. 3. dicit ad rationem veræ penitentis requiri, quòd sit de peccato, ut est contra Deum super omnia dilectum, atqui non omnes, qui habent veram penitentiam, justificantur sine Sacramento, alioquin nullus justificaretur per Sacramentum, cum nullus sit, qui expectet instans absolutionis, ut verè peniteat, & non prius tempore ad veram penitentiam conetur. Unde S. Doct. art. 6. dicit, quòd penitentia est prima inter ceteras virtutes ordine temporis quantum ad ejus actum, qui primus occurrit in justificatione ipsius. Item in 2. d. 28. q. art. 3. ubi quaerens, utrum homo possit implere Dei præcepta sine gratia habituali, cum 2. loco sibi objecisset: Charitas non potest sine gratia haberi, sed dilectio charitatis est in præcepto: ergo. Respondet sic. Ad 2. dicendum, quòd, sicut aliarum virtutum actus dupliciter considerari possunt, vel secundum quòd sunt a virtute, vel secundum quòd virtutem antecedunt; ita etiam est de charitate. Potest enim aliquis, eam charitatem non habens, diligere proximum, & Deum, etiam super omnia, ut quidam dicunt, & hoc diligere intelligitur actus charitatis sub præcepto cadere: ergo dilectio Dei super omnia potest esse sine charitate habituali, consequenter sine justificatione. Adverte tamen, quòd, cum S. Doct. vocat hanc dilectionem actum charitatis, sumat charitatem inchoativè, & late pro actu benevolentis, qui sufficit ad impletionem præcepti charitatis. Unde comparatio, quam facit cum actibus aliarum virtutum, non tenet in hoc, quòd, sicut actus aliarum virtutum præcedentes habitum virtutis sunt ejusdem strictè speciei cum actibus ab habitu procedentibus, ita in actibus charitatis; sed tantum tenet in hoc, quòd, sicut per actus aliarum virtutum habitum præcedentes satisfiit præcepto de illis virtutibus, ita per dilectionem benevolentis habitum charitatis præcedentem satisfiit præcepto charitatis: alioquin contradiceret propriis principiis, de quibus §. 1. & Doctrinæ, quam tradidit q. 83. paulò antè citata art. 6. ubi docet, quòd actus charitatis non possit esse sine habitu aliarum virtutum, adeoque sine gratia sanctificante, quacum aliz virtutes simul, & charitas habitualis infunduntur.

Prob. 3. eadem Min. variis exemplis. Primum mulieris peccatricis. Indubium est, eam, dum Pharisi domum ingressa est, accessit ad Christum, pedes ejus lacrymis rigavit, & capillis terxit, dilexisset Deum super omnia, antequam remitterentur ipsi peccata. De ea enim dicit Aug. hom. 23. intra 50. Accessit immunda, ut rediret munda. Et S. Greg. Hom. 33. in Evang. Nondum lota, sed lavanda, ad fontem misericordis currit. Et rursus: Ecce, que ad medicum venerat agra, sanata est. Et Bernardus Serm. de S. Magdalena: Tangit pedes mundi atque mundantis immunda, & vestigiis Creatoris mulier criminosa proambit. Secundum exemplum est D. Pauli. Indubium est pariter, ipsum dilexisset Deum super omnia, cum miraculose conversus in via in has voces erupit: Domine, quid me vis facere? atqui tamen juxta Aug. non fuit justificatus, nisi cum suscepit Baptismum ab Anania, Ananias baptizavit Saulum,

inquit Serm. 1. de Sanctis, & fecit de lupo agnum. Et Serm. 25. Venit ergo Ananias, baptizavit Saulum, & fecit Paulum; baptizavit lupo, & fecit agnum. Equidem S. Th. in 2. q. 112. art. 2. ad 2. in ea opinione est, quòd Paulus fuerit justificatus statim in ipso instanti suæ conversionis in via. At hoc non obstat, quin s. liem Ananias ipsum nondum justificatum crederet, cum ipsi dixit Act. 22. Nunc quid moraris, exurge, & baptizare, & ablue peccata tua; tametsi non dubitaret de ejus amore erga Deum: ut prorsus non crederet Ananias, omnem amorem ad justificationem extra Sacramentum sufficere. Tertium exemplum est ipsius Augustini. Certus erat moralitè S. Doctor de suo erga Deum amore, cum dicebat libr. 9. Confess. c. 2. Sagittaveras tu cor nostrum charitate tua, & tamen erat incertus de remissione peccatorum, donec unda baptismi fuisset ablatus: Gaudens in fide, inquit c. 4. laudavi nomen tuum, & ea fides me securum esse non sinebat de præteritis peccatis meis, que mihi per Baptismum tuum remissa nondum erant. Et c. 6. Baptizati sumus, & fugit a nobis sollicitudo vitæ præteritæ. Quartum exemplum est innumerabilium fidelium, Carcehomonorum præsertim, & Penitentium, quorum nullus, aut vix ullus est, a quo si petas, an delectat de peccatis propter Deum infinite bonum, an diligit Deum super omnia, qui non respondeat sincerè: sic doleo, sic diligo. Quis tamen dicat, hos omnes esse justificatos ante Sacramenti susceptionem si ita sit, otiosum prorsus, & vix necessarium, ut utile foret Sacramentum, cum esset tam facilis, & tam communis justificatio sine illo.

Prob. 4. eadem Min. argumento Theologico: Amor Dei benevolus super omnia non est causa formalis nostræ justificationis; id soli gratiæ justificanti competit ex Trid. 6. cap. 7. neque est actus meritorius istius gratiæ sanctificantis, quia principium meriti non cadit sub merito, principium autem omnis meriti est ipsa gratia sanctificans: est ergo dumtaxat dispositio ad illam; atqui nullibi legitur, quòd Deus illi promiserit statim, & infallibiliter annexam gratiam justificantem, ut jam patet ex dictis, & amplius patebit ex Sol. Obj. ergo.

§. IV. Solvuntur objectiones.

Obj. 1. Secundum nos non requiritur amor charitatis ad attritionem cum Sacramento sufficientem; atqui actus benevolentis est amor charitatis: ergo. Prob. Min. Ille actus est charitatis, cujus objectum formale est objectum charitatis; atqui objectum hujus actus benevolentis est objectum charitatis: ergo. Pater Maj. Quia actus specificantur a suo objecto formali. Prob. Min. Objectum formale charitatis est Deus, ut in se bonus; atqui objectum actus benevolentis est etiam Deus, ut in se bonus, in hoc enim distinguitur ab amore concupiscentiæ: ergo R. N. Min. Ad Prob. N. Min. Ad Prob. D. Maj. Objectum formale charitatis est Deus, ut in se bonus independentè a quovis alio, N. Maj. dependentè a redamatione Dei, & sui per gratiam, aut gloriam communicatione, C. Maj. Objectum igitur formale charitatis est Deus quidem, ut in se bonus, sed & ut amicus, ut nos redamans, & se nobis communicans per beatitudinem jurè in hac via, reipsa in gloria; non quòd redamatio ista, & communicatio ex parte Dei constituat rationem formalem, secundum quam; & propter quam Deus diligitur, seu sit objectum formale charitatis; sed quia est modificatio objecti, seu conditio sine qua Deus non est objectum formale charitatis, seu sine qua noster in eam affectus non est charitatis, quia non est amicitie, sed simplicis benevolentis. Solutio fusior videatur §. 1.

Subsumes; atqui hoc ipso quo quis diligit Deum super omnia affectu benevolò, Deus ipsum redamat: ergo, &c. Prob. Ant. 1. Auctoritate Scripturæ Proverb. 8. Ego diligentes me diligo: Joann. 14. Qui diligit me, diligitur a Patre meo: & ego diligam eum: & plures sic alibi. 2. Ratione. Nemo potest diligere Deum affectu benevolò super omnia, nisi Deus ipse hunc affectus per gratiam actualem inspiret; nec inspirat, nisi quia amat; amare enim est velle alicui bonum: ergo hoc ipso, &c. 3. Facienti quod in se est ex auxilio gratiæ, Deus non denegat ulteriorem gratiam, & tandem peccatorum remissionem per charitatem, & gratiam habituale diffusam in cordibus nostris; atqui, qui diligit Deum affectu benevolò super omnia, facit ex auxilio gratiæ quod in se est, nec ex parte sua plus potest præstare: ergo R. N. Supsumptum. Ad 1. probat. Dico, has & alias similes Scripturæ auctoritates intelligi debere de dilectione charitatis strictè sumptæ, vel de dilectione, seu affectu benevolentis acri, & intenso sine timore adminiculo, non verò de qualicumque affectu benevolò erga Deum, ut patet ex ultima probatione Conclusionis; sicut enim, etsi Scriptura dicat: Omnis qui petit, accipit, Matth. 7. Et omnis qui invocaverit nomen Domini, salvus erit, Joël 2. Et qui crediderit in eum, non confundetur, 1. Petr. 2. non tamen omnis, qui quovis modo petit, accipit; nec qui quovis modo invocet nomen Domini, aut

credit, salvus est: sed qui petit, sed qui invocet nomen Domini, aut credit, quomodo, & quantum oportet, servatis aliis servandis: ita similiter Deum diligentes, non quovis modo, sed quomodo, & quantum oportet, Deus diligit.

Ad 2. Probationem dico, Deum talem penitentem amara amore late dicto, seu benevolò, quomodo amat omnes peccatores, etiam infideles, dum eis gratias actuales identidem impertitur; talis autem amor, ex parte Dei cum actu benevolentis, ex parte creaturæ non sufficit ad amorem charitatis, & amicitie, si quidem ut dicitur 1. Joann. 4. cum adhuc essemus inimici, Ipse prior dilixit nos. Sed requiritur talis amor mutuus, qui, inquit D. Thom. supra citatus 2. 2. q. 27. art. 2. Importet quamdam unionem secundum affectum amantis ad amatum, in quantum scilicet amans æstimat amatum quodammodo ut unitum sibi, vel ad se pertinens, & sic movetur in ipsum; adeoque ad charitatis dilectionem requiritur, quòd Deus sit nobis unitus, & nos ipsi, nobis quodammodo unus, & nos ipsi per immediatam sui communicationem; quod non fit per gratias actuales, quæ disponunt tantum, & præparant ad illam unionem, sed in hac via per gratiam habituale, & sanctificantem, quæ est participatio divinæ naturæ, & qua constituitur Filius Dei, & hæres in gloria per immediatam divinæ essentis visionem. Vide §. 1.

Ad 3. Probat. R. 1. N. Min. Talis enim penitens non facit omnino quod in se est, sed potest plus facere ex auxilio gratiæ; potest enim acris, & intensius dolere, ita ut acerbitas dolentis adque magnitudinem scelerum; potest insuper dolere ex puriori motivo, scilicet amoris Dei super omnia sine adminiculo timoris. Quod si faciat, existimamus, quòd tunc Deus ipsi infundat gratiam sanctificantem peccatorum remissivam: non quòd talis dolor illum mereatur, cum ad primam gratiam sanctificantem nullum detur meritum; est enim ipsa principium omnis meriti: sed quòd sit conatus, & dispositio, quo majorem ex parte sua, & ex auxilio gratiæ vix potest ponere penitens. Unde de Dei bonitate, qui promisit, quòd Cor contritum, & humilitatum non despiciet, Ps. 50. quòd, cum conversus fuerit peccator, & ingenuerit, salvus erit, Isa. 50. quòd diligentes se diligeret, &c. de tali, ac tali, ac tanta inquam bonitate, quæ prior est ad miserandum, quàm ad puniendum, præsumimus, quòd sic penitenti indulget remissionem peccatorum. Adde, quòd, ut arguit D. Thom. 3. p. q. 86. art. 1. alius Deus vinceret quodammodo ab homine, si homo tam ardentè, & perfecte vellet peccatum deleri, quòd Deus non vellet delere, contra illud Joël 2. Benignus, & misericors est, patiens, & multa misericordis, & præstabilis super malitia. R. 2. Sensus hujus axiomatis, Facienti, quod in se est, &c. non esse, quòd talis statim Deus infundat gratiam justificantem, sed quod ulteriores gratias actuales non denegat, quibus tandem perveniat ad justificationem, sive in Sacramento, sive extra, secundum modos, & leges divinæ Providentiæ.

Repones. Talis conversio ad Deum per amorem benevolentis super omnia tollit in peccatore aversionem a Deo, & conversionem ad creaturam: ergo & peccatum. R. 1. D. Ant. Tollit aversionem a Deo; & ad creaturam conversionem, actualem, C. Ant. habituale, N. Ista enim tamdiu remanet, quamdiu remanet macula, & reatus poenæ, quæ non tolluntur, nisi per gratiam habituale infusionem. Non repugnat autem, ut jam diximus, quòd idem homo tendat in duos fines ultimos, si in unum tendat actualitè, in alterum habitualitè tantum. R. 2. Retorquendo argumentum, nam contritio ex solo timore est etiam, secundum suos Auctores, vera ad Deum conversio, & tamen sine Sacramento non tollit reatum, & maculam peccati. Simili retorsione argumenti responderi potest omnibus auctoribus, quibus innuitur verè conversum saluum fieri, contritum cor a Deo non despicit impietatem non nocere impio cum conversus fuerit, &c. quorum aliquas retulimus in prima instantia Objectionis. Etenim secundum adversarios simpliciter attriti ex solo timore sunt verè conversi, verè penitentes, etiam verè contriti, licet imperfectè, & tamen non nisi cum Sacramento justificantur secundum illos. Unde hæc, & similes auctoritates debent explicari juxta 1. & 2. solutionem præfatæ instantiæ.

Insistes ex S. Leone Ep. 19. Apud Deum nullas patitur veniæ moras verè conversio; atqui conversio ad Deum ex amore benevolò super omnia, est verè conversio: ergo R. Eadem retorsione argumenti: nam etiam conversio ex timore gehennæ secundum adversarios est verè conversio; alius non sufficeret etiam cum Sacramento; atqui tamen patitur moras usquè ad susceptionem Sacramenti, ergo R. 2. Sensus S. Leonis non esse, quòd omnis verè conversus, quantumvis imperfectè extra Sacramentum statim habeat peccatorum veniam: contrarium enim ibidem aperte assertit, cum dicit: Indulgentiam Dei, nisi supplicationibus Sacerdotum non posse obtineri; hoc est sine absolutione sacramentali, ut alibi exposuimus; sed per objecta verba præterdit tantum, quòd, quantumvis sit sceleratus, & in-

teratus peccator, si verè conversus fuerit, possit per Baptismi vel Penitentis Sacramentum statim reconciliari; adeoque Sacramenti beneficium non esse denegandum quantumvis impiis, & serò penitentibus, etsi illud in instantia periculi poscentibus, apud Deum enim Nulla patitur veniæ moras verè conversio, hoc est, quantumvis impius fuerit, quantumvis serò peniteat, Deus potest eos conversos statim, & sine mora reconciliare, per Sacramentum tamen; Indulgentia Dei enim nisi supplicationibus Sacerdotum non potest obtineri. Hunc esse S. Leonis sensum legitimum, patet tùm ex verbis subjunctis; tùm quia ibi expressè agit contra rigorem nonnullarum Ecclesiarum, quæ talibus sceleratis peccatoribus, in extremitate tantum penitentibus, Sacramenta denegabant, vel non nisi post certum penitentis tempus conferebant.

Obj. 2. Ad justificationem cum Sacramento consequendam sufficit ea attritio, seu contritio imperfecta, quam Concilium Trid. sess. 14. c. 4. contra perfectam dividit, & describit. Hæc sunt ejus verba Illam verò contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur; quoniam, vel ex cupidinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & poenarum metu communiter concipitur; si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ declarat, non solum non facere hominem hypocritam, & magis peccatorem, verum etiam donum Dei esse, & Spiritus S. impulsus, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum moventis, quo penitens aditus viam sibi ad justitiam parat: & quamvis sine Sacramento Penitentis per se ad justificationem perducere peccatorem nequeat, tamen cum ad Dei gratiam in Sacramento Penitentis impetrandum disponit; atqui in hac attritione nulla fit mentio amoris benevolò: ergo. Ante responsum suppono, Concilium Trid. non luisse hanc questionem expressè definire, quia scopus ejus erat errores hereticorum damnare, non questiones inter Theologos Catholicos controversas dirimere. Ità Card. Pallavicinus l. 12. c. 1. Revera, inquit, quantum ex actis conjicit, Theologorum mens erat, ut hereticorum error damnaretur, tanquam inhonestum improbandum genus timorem; non autem, ut ferrent sententiam de scholastica questione, an hujusmodi timor etiam absque eo, quòd ullus excusetur amor imperfectus, sufficiat ad remissionem peccatorum. Et alioquin, si Concilium decretoridè hanc questionem definivisset, alterutra sententia, vel nostra, vel aliorum foret hæretica, quòd dici nequit juxta Decretum Alexandri VIII. Unde, quæ sit mens Concilii circa præsentem materiam digressere non possumus, nisi per illationem, ex his quæ hinc, & inde dicit, & principiis, quæ statuit, sicut in multis aliis materiis, v. gr. in materia de circumstantiis peccatorum contentendis. Hoc præmissis, multi hodiè negant Majorem argumenti ob ea; quæ refert Card. Pallavicinus l. 2. cap. 10. ubi dicit in Decreto sess. 14. capite, de quo est questio, prius asseritum fuisse, Contritionem hanc imperfectam sufficere ad Sacramenti hujus constitutionem, & postea ad instantiam Episcopi Tudotani, qui monuit Patres Concilii dissentire Theologos de sufficientia istius attritionis, aliter dispositum fuisse Decretum, & expuncto Sufficere, loco ejus substitutum fuisse Disponere, proli nunc habemus, his scilicet verbis Ad Dei gratiam in Sacramento Penitentis impetrandum disponit. Ex quo inferunt, per tò Disponit non significari a Concilio dispositionem proximam, & sufficientem, sed remotam tantum: alius non jusserit, expungi vocem Sufficere in priori Decreto positam: aut saltem ab hac difficultate Theologica voluisse abstrahere dicendo simpliciter Disponit, & non determinando, an proximè, vel remotè.

Si dicas, attritionem extra Sacramentum disponere remotè: ergo frustra dixisset Concilium disponere cum Sacramento, si intelligat de dispositione remota; & fuisset diminutum, non assignando dispositionem proximam. Respondent ad 1. negando illationem; quia cum immediatè antè dixisset, hanc attritionem non perducere ad justificationem sine Sacramento, debebat saltem addere, quòd ad eam disponeret cum Sacramento. Ad 2. respondent, Concilium fuisse diminutum in dicendis Theologorum inter se controversiis, non in demandis hæreticorum erroribus. Attamen R. Data Maj. D. Min. In hac attritione nulla fit mentio explicita amoris benevolò, C. implicita, N. Hoc ipso enim quòd Concilium dixit, contritionem in communi, adeoque & attritionem sub illa contentam esse dolorem, & odium peccati, utique quæ peccatum est, & malum Dei, ut dixi in 2. Probatione, implicuit actum benevolentis; quia fieri non potest, quòd quis odio habeat peccatum, ut peccatum est, & malum Dei; nisi ex presupposito amore Dei: sicut fieri nequit, quòd quis delectat de peccato, ut est inductivum poenæ, & sibi noxivum, nisi ex presupposito amore sui: unde, ut acutè advertit jam laudatus Hennequier, quem admodum Concilium frustra expressisset hunc proprium amorem penitentis, similiter frustra expressisset alterum benevolentis erga Deum: Insuper, quamvis Concilium in hac sess. 14. c. 4. non expresserit necessitatem amoris benevolò ad Sacramen-